

De abstinentia, & præcipue à carnibus.

SALVATOR noster, Attendite, inquit, vobis ne fortè graventur corda vestra crapula, & in ebrietate & curis huius vite. Modicus enim ac temperatus cibus & carni & animæ utilis est. Balnearum fomenta ne quæras, qui calorem corporis juniorum cupis frigore extinguere: quæ & ipsa moderata sint, ne nimia debilitent stomachum, & maiorem refectioem poscencia erumpant in cruditatem: quæ parens libidinum est. Aiunt enim medici qui de humanorum corporum scripsere naturis: præcipue Galenus in libris, quorum titulus *τῆς ὑγιανῆς*, puerorum & juvenum, ac perfectæ ætatis virorum mulierumque corpora, in isto calore fervere: & noxios his esse ætatibus cibos qui calorem augent: sanitatiq; conducere, frigida quæque in cibo & potu sumere. Sicut è contrario senibus, qui pituita laborant & frigore, calidos cibos, & vetera vina prodesse: Et etiam Comicus, cuius finis est humanos mores nosse atque describere, dixit: Sine Cerere & Libero friget Venus.

Nihil itaque scias conducere Christianis adolescentibus ut esum olerum. Nam ardor corporum frigidioribus epulis temperandus est. Nobis enim non corporum cultus, sed animæ vigor queritur, quæ carnis infirmitate sit fortior: Inde est quod nonnulli vitam pudicam appetentium, in medio itinere corruunt: dum solam abstinentiam putant carnium, & leguminibus onerant stomachum, quæ moderatè parcèque sumpta innoxia sunt: & ut quod sentio loquar: Nihil sic inflammant corpora, & titillat membra genitalia: sicut indigestus cibus rursusque convulsus. Quod enim seminarium voluptatum est, venenum puta.

Est autem esus carniū seminarium libidinis. Et non solum de carnibus loquor: sed in ipsis leguminibus infantia & gravia declinanda sunt. Parcus cibus & venter esuriens, tri-duanis jejuniis præfertur. Multo enim melius est quotidie parum, quam raro satis sumere. Pluvia illa optima est, quæ sensim descendit in terras. Subitus & nimius imber in præceps, arva subvertit. Refectio itaque saturitatem fugiat. Nihil prodest biduo triduoque transmissio vacuum portare ventrem: si pariter obruatur: si compensetur saturitate jejunium. Illico mens repleta torpescit: & irrigata corporis humore, spina germinat libidinum.

Plures quoque sunt qui cum vino sint sobrii, ciborum tamen largitate sunt ebrii. Omnes enim qui ebrietatem sectantur, filii Belial vocantur. Nam venter mero astuans facillè desumpat in libidinem. Unde Noë nudavit ebrietate femora. Lot quem Sodomæ non vicerat, vina vicerunt. Venter quoque plenus facillè de jejuniis disputat. Qui enim Christum desiderat, & illo vescitur pane, non querit magnopete de quam preciosis cibus stercus conficiat. Quicquid post gulam non sentitur, idem sit quod panis & legumina. Omne enim quod in hoc mundo laborant homines, ore quasi consumitur: & attritum dentibus, ventri traditur digerendum: & tandiu tribuit voluptatem, quandiu gutture detinetur. Cum vero in alvum transierit, definit inter cibos esse distantia.

Nec hoc dicimus, quod negemus pisces: sed quomodo nuptiis virginitatem, ita saturitati jejunia præferimus. Sed non ideo te carnes vesci non putes, si suum, leporum, atque cervorum & quadrupedum animantium esculantiam reprobes. Non enim hæc pedum numero, sed suavitate gustus comprobantur. Scimus ab Apostolo dictum: Omnis creatura Dei bona: quæ cum gratiarum actione percipitur. Sed idem loquitur: Bonum est carnem non manducare. Comedant carnes, qui carnibus serviunt. Quorum fervor desumpat in coitum, eorum & intestina carnibus repleantur.

Tu vero nihil habeas tam necesse, quam in jejunio perseverare. Pallor & sordes tuæ gemmæ sunt. Igitur cum mihi dixeris: cur porcus creatus est? statim tibi respondebo puerorum more certantium: Cur viperæ & scorpionum? Nec Deum superfluum iudicabis artificem: cum plurimæ & bestia & volucres sint, quas tuæ fauces recusant. Sed ne contentiosum hoc, & pugna magis videatur esse quam verum: Audi idcirco futes & apros & reliquas animantes creatas: ut milites, athlete, nautæ, rhetores, metallorumque fossiores, & ceteri duro operi mancipati haberent cibos: quibus fortitudo corporum necessaria est: qui portant arma & cibaria: qui pugnis & calcibus sua invicem membra debilitant: qui remos

trahunt: quorum latera ad clamandum dicendumque sunt valida: qui subvertunt montes, & sub divo & imbris dormiunt.

Sed quid ad nos, quorum conversatio in caelis est? ceterum nostra religio non atletam, non nautas, non milites, non fossiores: sed sapientiæ erudit sectatorem: qui se Dei cultui dedicavit, & scit cur creatus sit, cur versetur in mundo: quò abire festinet. Unde & Apostolus loquitur: Quando infirmor, tunc potens sum: & si exterior noster homo corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem: Et, cupio dissolvi & esse cum Christo. Et, carnis curam ne feceritis: Quodque sine quatuor sensibus vivere possumus: id est, sine aspectu, auditu, odoratu, atque complexu. Absque gustu autem & cibus impossibile est humanum corpus subsistere.

Adesse ergo debet ratio: ut tales & tantas sumamus escas, quibus non oneretur corpus: nec libertas animæ prægravetur: Quia & comedendum est, & deambulandum, & dormiendum, & digerendum, & postea inflatis venis incentiva libidinis sustentantur. Sunt quidem sensus nostri porta, per quas ad animam nostram sæculi blandimenta descendunt: & per quas sensus carnis introeunt. Per quas nisi lata strage facta viam virtutibus potius quam impietate fecerimus: nunquam ad regem pietatis pervenire poterimus.

Dicat enim uniusquisque quo dolet: ego loquor conscientiam meam. Scio mihi abstinentiam, & nocuisse intermissam, & profuisse repetitam. Nec tales ergo recipiamus cibos: quos aut difficulter digerere, aut comestos magno partos & perditos labore doleamus. Olerum & pomorum ac leguminum, & facilius apparatus est: & arte impendique coquorum non indigent: & sine cura sustentant humanum genus moderateque sumptus quia nec avidè devoratur. Quod irritamentum gulæ non habet, leviori digestionè decoquitur. Nemo enim uno & duobus cibus, hisque vilibus usque ad inflationem ventris oneratur, quæ diversitate carniū & saporis delectatione concipitur: cum variis nidioribus fumant patinæ, & ad esum sui, expleta esurie quasi captivos trahunt. Unde & morbi ex saturitate nimia concitantur. Multique impatientiam gulæ vomitu remediatur: & quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt.

Postquam enim venit Christus in fine temporum: & revolvit ad alpha: id est, finem ad principium, ut in prima ætate non circuncidimur: nec repudium dare permittimur: nec carnes comedimus. Hippocrates in aphorismis docet crassa & obesa corpora, quæ crescendi mensuram impleverint: nisi cito ablatione sanguinis minuatur: paralytici & pessima morborum genera parere. Et idcirco esse necessariam demptionem: ut rursus habeant in quæ possint crescere. Non enim manere in uno statu naturam corporum: sed aut crescere, aut decrescere: nec posse vivere animal nisi crescendi capax sit. Unde & Galenus ille doctissimus Hippocratis interpres, Athletas quorum vita & ars sagina est, dicit in exhortatione medicinarum, nec vivere posse diu, nec sanos esse: animalque eorum ita nimio sanguine & adipibus quasi luto involutas, nihil tenuæ, nihil cælestis: sed semper de carnibus & ructu & ventris ingluvie cogitare. Diogenes tyrannos & subversiones urbium bellaque hostilia vel civilia non pro simplici victu olerum pomorumque, sed pro carnibus epularumque deliciis asserit excitari. Quodque mirandum sit, Epicurus voluptatis assertor, omnes libros suos replevit oleribus & pomis & vilibus cibus: dicens ita esse vivendum: quia carnes & exquisitæ epulæ ingenti cura ac miseria præparantur, maioremque penam habeant in querendo quam voluptatem in abutendo. Bibere & comedere non deliciarum ardorem debet excitare: sed sicim famemque restinguere. Qui carnibus vescuntur, indigent etiam his quæ sunt carniū. Qui autem simplici victu utuntur, eos carnes non requirere.

Sapientiæ ergo operam dare non possumus, si mensæ abundantiam cogitemus: quæ labore nimio & cura indigent. Cito expletur naturæ necessitas: frigus & fames, simplici vestitu & cibo expelli potest. Delicia & epularum varietas, fomenta sunt avaritiæ. Quòd si quis existimat se abundantia ciborum potionumque perfuturi, & vacare posse sapientiæ: hoc est versari inter delicias, & deliciarum vitium non teneri, seipsum decipit. Sensus noster illud cogitat, quod videt, audit, odoratur, gustat, atreccat: & ad ejus trahitur appetitum, cujus capitur voluptate. Difficillè, imò impossibile est,

divitiis & voluptatibus affluentes non ea cogitare quæ gerimus. Frustraque quidam simulant salva fide & pudicitia & integritate mentis se abuti voluptatibus: cum contra naturam sit, copiosè voluptatum, sine voluptate perfuturi. Sensus corporum quasi equi sunt, sine ratione currentes. Anima vero in aurigæ modum retinet frena currentium.

Grandis exultatio animæ est, cum parvo contentus fueris, mundum habere sub pedibus: & omnem ejus potentiam epulas, libidines, propter quæ divitiæ comparantur, vilibus mutare cibus, & crassiori tunica compensare. Tolle epularum & libidinis luxuriam: nemo quæret divitias: quarum usus aut in ventre, aut sub ventre est. Qui agrotat, non aliter recipit sanitatem, nisi tenui cibo & castigato victu. Quibus ergo cibus recipitur sanitas, his & servari potest: ne quis putet morbos oleribus concitari. Si autem vires olera non ministrant, quæ nascuntur & aluntur carnibus: quid est sapienti viro & philosopho Christi tantam habere fortitudinem, quæ athletis & militibus necessaria est, quam cum habuerit ad vitia provocetur? Illi arbitrantur carnes sanitati congruas: qui volunt abuti libidine: & in cœnum demersi voluptatum, ad coitum semper exsevant. Christiano sanitas absque viribus eximii necessaria est.

Nec turbare nos debet, si rari sunt huius propositi sectatores, quia rari sunt & amici boni & fideles & pudici, & continentis, semperque virtus rara est. Legimus quosdam morbo articulari & podagræ humoribus laborantes, prescriptione bonorum ad simplicem mensam & ad pauperes cibos redactos, convalescisse. Caruerunt enim sollicitudine dispensandæ domus, & epularum largitate: quæ & corpus frangunt & animam.

Iridet Horatius appetitum ciborum, qui consumpti relinquunt penitentiam. Sed etiam ex vilissimis cibus vitanda fatietas. Nihil enim ita obruit animum, ut plenus venter & astuans, & huc illuc se vertens, & in ructus, & in crepitu ventorum efflante respirans. Quale autem illud jejunium, aut qualis refectio post jejunium: cum pridianis epulis distendimur: & guttur nostrum meditatorum efficitur latrinarum? Dumque volumus prolixioris inediæ famem querere: tantum voramus, quantum vix alterius diei nox digerat. Itaque non tam jejunium appellandum est, quam crapula ac festens & molesta digestio.

De abstinentia philosophorum, antiquorum sacerdotum, aliorumque sanctorum.

DICÆARCHUS in libris antiquitatum & descriptione Græciæ, refert sub Saturno, cum omnia humus funderet, nullum comedisse carnes: sed universos vixisse frugibus & pomis, quæ sponte terra gignebat. Chæremion quoque Stoicus vir eloquentissimus narrat de vita antiquorum Ægypti sacerdotum: qui omnibus mundi negotiis curisque postpositis, semper in templo fuerint: & rerum naturas casualque ac rationes siderum contemplati sint: nunquam se mulieribus miscuerint, nunquam cognatos & propinquos, ne liberos quidem viderint: & ex eo tempore quo cepissent divino cultu deservire, carnibus & vino semper abstinerint propter tenuitatem sensus, & maximè propter appetitus libidinis: quæ ex his cibus & ex hac potione nascuntur. Pane vero non vescabantur: ne onerarent stomachum: & si quando comedebant, unsum pariter hysopum sumebant in cibo: ut esum graviorem, illius calore decoquerent. Oleum tantum in oleribus noverant: verum & ipsum parum propter nauseam & asperitatem gutturis leniendam.

Quid loquar, inquit, de volatilibus: cum ova quoque pro carnibus vitaverint & lac? quorum alterum carnes liquidas: alterum sanguinem esse dicebant colore mutato. Curabile eis de foliis palmarum contextum erat. Scabellum acclive ex una parte obliquum in terra pro pulvillo capiti supponebant: bidui triduique inedia sustinentes: & humores corporis qui nascuntur ex otio, & ex mansione unius loci, nimia victus castigatione siccabant. Item Josephus in secunda Judaicæ captivitatis historia, & in decimo octavo antiquitatum libro, tria describit dogmata Judæorum, Phariseos, Sadducæos, Essæos: quorum novissimos miris effert laudibus: quod & uxoris, vino & carnibus semper abstinerint: & quotidianum jejunium verterint in naturam. Super quorum vita & cibo, Philo vir doctissimus proprium volumen edidit.

Eubulius narrat apud Persas tria genera Magorum: quorum primos qui sunt doctissimi & eloquentissimi: excepta farina & olere, nil amplius in cibo sumere. Orpheus quoque in carmine suo esum carniū penitus detestatur. Pythagoræ etiam, Socratis, Antisthenis, & reliquorum frugalitatem, referret in confusionem nostram, nisi & longum esset, & proprii operis indigeret: ut qui paupertatem Apostolorum & crucis duritiem, aut nesciunt, aut contemnunt: imitentur saltem gentiliū paupertatem.

Ad ea venio, quæ Afella post duodecimum annum sudore proprio elegit, arripuit, tenuit, cepit, implevit. Unius cellulæ clausa angustius, latitudine paradisi fruebatur. Idem terræ solum, & orationis locus extitit & quietis. Jejunium habuit pro ludo, inedia pro refectioe. Et cum eam non vescendi desiderium, sed humana confectio ad cibum traheret: pane & sale & aqua frigida concitabat magis esuriam, quam restringebat: & operabatur manibus, sciens scriptum esse: Qui non laborat, non manducet. Et ita ad quinquagenariam pervenit ætatem: ut non doleat stomachus, non viscerum cruciaretur injuria: non sicca humus jaecientia membra confringeret: non sacco asperata cutis, fetorem aliquem solumque contraheret: sed sana corpore, anima sanior, solitudinem putaret esse delicias: & in urbe turbida inveniret eremum monachorum.

Paulo quoque cibum & vestimenta palma præbebat: & ne cui impossibile videatur, Jesum testor & angelos ejus: quod in parte eremi, quæ juxta Syriam Saracenis conjungitur, monachum vidi, qui per triginta annos inclusus, hordeaceo pane & lutulenta aqua vivebat. Alter in cisterna veteri per dies singulos quinque carycis sustentabatur. Unde si mihi Dominus optionem daret, multo magis eligerem tunicam Pauli cum meritis, quam regum purpuras cum regnis suis. Quid tamen nos ventris animalia, tale unquam fecimus: quos si vel secunda hora legentes invenerit, oscitamus, manu faciem defricantes, continemus stomachum: & quasi post multum laborem, mundialis rursus negotiis occupamur.

Prætermitto prandia, quibus mens onerata premitur. Pudet dicere frequentiam salutandi: qua aut ipsi quotidie ad alios pergimus, aut ad nos venientes ceteros expectamus. Deinceps itur in verba, sermo teritur, lacerantur absentes, vita aliena describitur: & mordentes invicem consumimur ab invicem. Talis nos cibus occupat & dimittit. Cum vero amici recesserint ratiocinia supputamus. Nunc ira personam leonis nobis inducit: nunc cura superflua in annos plurimos duratura præcogitat. Nec recordamur Evangelii dicentis. Stulte hac nocte auferent animam à te, quæ autem præparasti cujus erunt?

Nec vero hoc dicens condemno cibos: quos Deus creavit ad utendum cum gratiarum actione, sed juvenibus incentiva esse assero voluptatum. Non Ætnæ ignes, non Vulcania tellus, non Vesevus Olympusque tantis ardoribus astuans: ut juveniles medulla vino plenæ, dapibus inflammata. Avaritia calcatur à plerisque, & cum maris superio deponitur. Maledicam linguam indictum silentium emendat: cultus corporis, & habitus vestium unius horæ spatium commutat. Omnia alia peccata extrinsecus sunt: & quod foris est facillè abjicitur. Sola libido insita est: & quadam lege naturæ in coitum gestit erumpere. Grandis igitur virtutis est & sollicitæ diligentia superare quod natus sis: & in carne non carnaliter vivere.

De temperatis jejuniis.

TANTUM tibi jejuniorum assume, quantum ferre potes: diversus est enim hominum stomachus. Alii amarioris, alii dulcioris, alii austerioribus, alii levibus delectantur cibis. Ideo non tibi immoderata imperamus jejunia: & enormem ciborum abstinentiam, quibus statim corpora delicata franguntur. Philosophorum quoque sententia est, moderatas esse virtutes, excedentes modum atque mensuram inter vitia deputari. Unde & unus de septem sapientibus: Ne quid, ait, nimis. Novi enim ego in utroque sexu propter nimiam abstinentiam cerebri sanitatem quibusdam fuisse vexatam: præsertim qui in humidis & frigidis habitaverunt cellulis: ita ut nescirent quid agerent, quove se verterent, quid loqui, quid tacere deberent.

Sic ergo debes jejunare, ut non palpites, & respirare vix

possis: sed ut fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in psalmis, nec in vigiliis solito quid minus facias. Jejunium non perfecta virtus, sed ceterarum virtutum fundamentum est, & sanctificatio atque pudicitia: & sine qua nemo videbit Deum. Nam Christus pro animi voluntate omnia in acceptum refert. Displicent namque in teneris maxime artibus longa & immoderata jejunia, quibus junguntur hebdomades: & oleum in cibo ac poma vetantur. Experimento didici, asellum in via cum lassus fuerit diverticula querere. Hoc enim in perpetuo jejunio preceptum est: ut longo itinere vires perpetes suppetant, ne in prima mansione currentes corruant in mediis.

Ceterum in quadragesima continentia vela pandenda sunt, & tota aurigæ retinacula equis laxanda properantibus: quamquam alia sit conditio secularium, alia monachorum. Secularis homo in quadragesima ventris ingluviem decoquit, & in cochlearum morem, succo victians suo, futuris dapi-bus ac fagine aqualiculum parat, Monachus in quadragesima suos dimittat equos: ut sibi meminerit semper esse currendum. Finitus labor major, infinitus moderatior est. Ibi enim respiciamus: hic perpetuo incedimus. Sic tamen comedas, ut statim post cibum possis legere, orare, & psallere. Ideo sunt tibi casta, simplicia, moderata, & non superflua jejunia.

Sed quid prodest oleo non vesci: & molestias quasdam difficultatesque ciborum querere, carycas, piper, nucas, palmarum fructus, similam, & mel? Totam hortorum culturam vexatur, ut cibario pane non vescamur: & dum delicias festamur, à regno caelorum retrahimur. Nec si biduo aut triduo jejunaveris: putes te non jejunantibus esse meliorem. Tu jejunas & irascis: ille comedit & forte blanditur. Tu vexationem mentis & ventris esuriam jejunando digeris, ille moderatus alitur & gratias agit Deo. Unde quotidie clamar Isaias: Non tale jejunium elegi, dicit Dominus: & iterum: In diebus juniorum vestrorum inveniuntur voluntates vestrae: & omnes qui sub potestate vestra sunt stimulat: In iudiciis & litibus jejunatis, & percussis pugnis humilem: ut quid mihi jejunatis? Quale illud potest esse jejunium, cuius iram non dicam nox occupat: sed luna integra derelinquit?

Templum considerans noli in alterius ruina, sed in tuo opere gloriari: nec illorum tibi exempla proponas: qui carnis curam facientes, possessionum redditus & quotidianas domus impensas supputant. Nec enim undecim Christi Apostoli Judæ prodicione sunt fracti. Nec Philegio & Alexandro naufragium faciente ceteri à cursu fidei subliterunt. Convivia quoque tibi sunt vitanda secularium: maxime eorum qui honoribus tument. Nam pinguis venter, non gignit sensum tenem.

Docet Æsopi fabula, plenum muris ventrem per angustum foramen egredi non valere. Quoscumque namque formosos, calamistratos, crine compositos, vel buccis rubentibus videris: de armento Joviniani sunt: inter quos grunniunt sues. De nostro grege, tristes, pallidi, sordidi, & quasi peregrini hujus sæculi, licet sermone careant, habitu loquuntur & gestu: Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata est. Unde saccus & jejunium arma sunt penitentia, & alia peccatorum. Et si è duobus necessariis unum est subtrahendum: magis eligam jejunium absque sacco, quam saccum absque jejunio. At vero hi quibus penitentia precipitur, consequenter ad jejunium saccum copulant. Non quidem sanatur oculus, quod calcaneo adhibetur. Jejunio passiones corporis, oratione pestes sanandæ sunt mentis. Igitur per jejunium ostenditur nos posse ire in paradysum, unde per saturitatem fueramus eieci. Nam jejunium curat vulnera delinquentis: curatque sanctificat.

De contemplatione, oratione, & lectione.

SI monachus esse vis, non videri: habeto curam, non rei familiaris, cui renunciando hoc esse cepisti, sed anime tue. Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis. Corpus pariter animusque tendantur ad Dominum. Sic teipsum in celo animo gestiente procures: ut dum corpore motaris in terra, jam ad Christum mente pervenias. Alluecas quoque ad orationes & psalmos nocte confurgere, manè hymnos canere: tertia, sexta, nona hora stare in acie quasi bellatorem Christi, accensæque lucerna reddere sacrificium vespertinum. Sic dies transeat, sic nox inveniat labo-

rantem: orationi lectio, lectioni succedat oratio. Præcipue ea quæ sancti faciunt, in conspectu Dei faciunt: & plenior scientiam Dei accipiunt: & plenius divinis imbuti sunt disciplinis. Si enim agrotus & astuans febribus aquam frigidam postulet, & dicat ad medicum: Vim patior, crucior, exanimor, usquequo medicæ clamabo, & non exaudies? Et respondeat sapientissimus & clementissimus medicus: Scio quo tempore debeam dare quod postulas, non miserere contra te petis. Ita Dominus noster sciens clementia suæ pondera atque mensuras, interdum non exaudit clamantem: ut eum probet, & magis provocet ad rogandum: & quasi igne excoctum, justiore & puriore faciat.

Ad orationem nocte confurgenti non indigestio cibi ructum faciat, sed inanitas. Nam quidam vir inter pastores eximius: Sicut fumus, inquit, fugat apes: sic indigesta ructatio avertit Spiritus sancti charismata. Ructus autem dicitur propriè digestio cibi: & concoctarum escarum in ventum efflatio. Quomodo ergo juxta qualitatem ciborum de stomacho ructus erumpit: & vel boni, vel mali odoris flatus indicium est: ita interioris hominis cogitationes verba proferunt: & ex abundantia cordis os loquitur. Justus comedens replet animam suam. Cumque sacris doctrinis fuerit satiatius, de boni cordis thesauro profert ea quæ bona sunt.

Crebrius lege & discere quamplurima & tenente te codicem somnus obrepat: & cadentem aciem pagina sancta suscipiat. Et quamquam Apostolus semper orare nos jubeat: & sanctis etiam ipse somnus oratio sit: tamen divinas orandi horas debemus habere: ut si aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoveat. Nec cibi ante sumantur, nisi oratione præmissa. Nec recedatur à mensa, nisi referantur gratia creatori. Eredientes hospitium armet oratio: & ingredientibus occurrat oratio antequam sessio: nec prius corpusculum requiescat, quam anima pausetur.

Ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat crucem. Dominicis diebus orationi & lectioni vacetur. Quod quidem in omni tempore completis opusculis faciant. Quotidie de Scripturis sanctis aliquid dicatur. Providendum etiam ut diem solennem, non tam ciborum abundantia, quam spiritus exultatione celebremus: quia valde absurdum est nimia saturitate velle martyrem honorare, quem scias Deo placuisse jejunii.

Sacerdotes quoque pro omnibus orare debent, quorum elemosynas oblationesque recipiunt. Sæpe in manibus tuis divina sit lectio & crebra oratione, ut omnes cogitationum sagittæ, quibus adolescentia percuti solet, hujusmodi clypeo repellantur. Quoniam difficile imo impossibile est perturbatum vitis carere quietiam. Nam frequens lectio & quotidiana meditatio, solet magis labor mentis esse quam carnis. Quomodo enim quod manu & corpore fit, manus & corporis labore completur: ita quod ad lectionem pertinet, magis mentis est labor. Literæ namque mansupium non sequuntur: sudoris tamen comites sunt & laboris, locia juniorum non saturitatis: continentia, non luxuria. Unde quidam Origenis discipulus dixit: nunquam se cibum Origene præsentem sine lectione sumpsisse: nunquam evenisse somnum, nisi unus è fratribus sacris literis personaret.

Edentes autem cucullis capita sua velent: ne alter alterum aspiciat manducantem: ne loqui quidquam liceat dum manducant. Igitur quando comederis, cogita quod statim tibi orandum illico, & legendum sit.

De Scripturis sanctis habeto fixum versuum numerum. Istud pensum Domino tuo reddet. Nec ante membra quieti concedas, quam palladium pectoris tui hoc subtegmine compleveris. Post sanctas Scripturas, doctorum hominum tractatus lege, eorum duntaxat, quorum fides nota est: Quoniam eruditio timorem creat, imperitia confidentiam. Sed tunc scriptura proderit legenti: si quod legerit opere compleatur.

Illorum igitur tractatibus, illorum delecteris ingeniis & libris: quorum pietas fidei non vacillat. Ceteros sic lege, ut magis iudices quam sequaris. Caveas omnia apocrypha: & si quando ea non ad dogmatum veritatem legere volueris: scias non eorum esse quorum titulus prænotantur: multaque in his & mixta vitiosa: Et grandis prudentia est aurum in luto querere. Quid enim facit cum psalterio Horatius? cum Evangeliiis Maro? cum Apostolo Cicero? Quæ societas lucis ad tenebras? Ne ergo legas philosophos, oratores, poetas,

ne in eorum lectione requiescas: ne nobis blandiamur: si his quæ scripta sunt non credimus: cum aliorum conscientia vulneretur: & putemur probare quæ dum legimus non reprobamus. Abiit ergo ut de ore Christiano sonet Jupiter omnipotens, & tunc Hercule, & me hæstor: & cetera magis portenta quam numina.

At nunc etiam sacerdotes Dei omittis Evangeliiis & Prophetis videmus comœdiis legere: amatoriam buccolicorum versuum verba cantare: tenere Virgilium: & id quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluntatis. Scientia autem pietatis est, nolle legere scripturas: Prophetas intelligere: in Evangelio credere: Apostolos non ignorare. Nec putemus in verbis scripturarum esse Evangelium, sed in sensu: Non in superficie, sed in medulla: Non in sermonum foliis, sed in radice rationis.

Si quid de scripturis dubites: interroga eum quem vita commendat, exulat ætas, fama non reprobat. Aut si non est qui possit exponere: melius est aliquid nescire, quam cum periculo discere. Memento quia in medio laqueorum ambulas. Malo enim apud te verecundia parumper quam causa periclitari. Qui tamen quod novit interrogat, non modo discendi, sed studio cognoscendi, an noverit ille qui responsurus est in similitudinem pharisæorum: non quasi discipulus, sed quasi tentator accedit. Perique etiam detractorem, dum verba sacri eloqui plus quam debent discutunt, in carnale intellectum cadunt.

In divinis autem scripturis & libris: melius est obscura relinquere ut sunt, quam aliquid temerè, vel pravè imitari quod nescias. Sunt quoque nonnulli, qui rugata fronte, demisso supercilio, verbisque trutinatis auctoritatem doctorum sibi vendicant. Non quod ipsi dignum aliquid arrogantia noverint: sed quod simplices fratres quædam videntur sui comparatione nescire. Evenit etiam interdum, ut cum modicum scientia quis habuerit, elatus in superbiam discere desistat: & paulatim eo quod nihil addit subtrahatur, ut vacuus disciplinis penitus remaneat: ferrumque quod acutum erat hebetetur. Sed & jam Prophetam horrere, eloquentis est: non Christum sapere, sapientis: injuriam fecisse, virtutis: aliena possidere, potentia: innocentem circumvenire, astutia: humilem despesisse, nobilitatis. Sic erroribus plena sunt omnia: & ad hoc usque veritas obscuratur: ut in mortis gremio jacuisse beatitudo dicatur.

Nobis verò nil placet, nisi quod Ecclesiasticum est: & quod publicè in Ecclesia non timeamus. In his tamen ita facere solemus. Quando enim philosophos legimus, quando in manus nostras libri veniunt sapientia secularis, si quid in eis utile reperimus: ad nostrum dogma convertimus. Si quid vero superfluum, de idolis, de amore, de cura secularium rerum: hæc radimus, his calvitium inducimus, hæc in angustum morem ferro acutissimo defecamus.

Referam tibi meæ infelicitatis historiam. Cum ante annos plurimos domo, parentibus, fororibus, cognatis: & quod his difficultus est, consuetudine lautioris cibi, propter caelorum me regna castralem: & Jerosolymam militaturus pergerem: bibliotheca, quam mihi Roma summo studio confeceram, carere non poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium jejunabam. Post nocturnam crebras vigiliis, post lachrymas, quæ præteritorum recordatione peccatorum ex intemperatis visceribus fluebant, Plaurus sumebatur in manus. Si quando in memetipsum reversus Prophetam legere cepissem, sermo horrebat incultus. Et quia lumen cæcis oculis non videbam: non oculorum putabam culpam esse, sed solis. Dum ita me antiquus serpens illuderet: in media ferme quadragesima medullis insula febris, corpus invasit exhaustum, & sine ulla requie, quod dictu quoque incredibile sit, infelicia membra depasta est, ut ossibus vix hærerem. Interim parantur exequiæ, & vitalis anime calor, toto jam corpore frigelescente, in solo tantum tepente pectusculo palpitabat: cum subito raptus in spiritu ad tribunal Christi pertrahor: ubi tantum luminis erat, & tantum ex circumstantium claritate fulgoris, ut projectus in terram sursum aspicere non auderem. Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi. Et ille qui præsidebat: Mentiris, ait: Cicero, manes es, non Christianus. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Illico obmutui, & inter verbera, nam cædi me iussur, conscientia magis igne torquebat: illum mecum ver-

siculum repetens: In inferno autem quis confitebitur tibi? Clamare tamen cepi, & ejulas dicere: Miserere mei Domine, miserere mei. Hæc vox inter flagella resonabat. Tandem ad præsentis genua provoluti qui aliterant, precabantur ut veniam tribueret adolescentia, & errori locum penitentia daret, exacturus deinde cruciatum, si gentiliū aliquando literarum libros legissem. Ego qui in tanto constrictis articulo, vellem etiam majora promittere: dejetrare cepi, & nomen ejus obtestans dicere: Domine, si unquam habueris codices sæculares: aut si legero, te negavi. In hæc sacramenti verba dimissus, revertor ad superiores & mirantibus cunctis, oculos aperui: tanto lachrymarum imbri perfusos, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec verò soporille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpe deludimur. Testis est tribunal illud, ante quod jacui, iudicium testis quod timui: Ita mihi nunquam talem contingat incidere quaestionem. Nam fateor vulneribus habuisse plenas scapulas: plagas sensitisse post somnum: & tanto dehinc studio divina legisse, quanto mortalia antè non legerem.

Quodque præter psalmodum & orationis ordinem, quod tibi hora tertia, sexta, nona, ad vesperum, media nocte & manè semper exercendum est: statim quot horis scripturam sanctam ediscere debeas, quanto tempore legere: non ad laborem, sed ad delectationem & instructionem anime. Cumque hæc finieris spatia: & frequenter ad figenda genua sollicitudo animi suscitaverit: aut extendenda compone, aut quæ sunt texta respice, quæ errata reprehende, quæ sunt faciendæ consuetudine. Si tantis operum varietatibus fueris occupatus, nunquam tibi dies longierunt. Sed quamvis ætibus tendantur solibus: breves videbuntur quibus aliquid operis prætermisum est. Hæc observans, teipsum salvabis & alios: & eris magister sanctæ conversationis, multorumque castitatem lucrum tuum facies.

Dicas psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis queratur, scribente Apostolo: Psallam spiritu, psallam & mente. Legerat enim præceptum, psallite sapienter. Nam clamor in scripturis non est vocis, sed cordis. Sed nunquid verborum multitudine flecti Deus, ut homo potest? Non enim verbis, sed corde orandum est Deus. Melior est pretem psalmodum decantatio cum puritate & serenitate, & spiritali hilaritate, quam totius psalterii modulatio cum anxietate cordis & tristitia. Cantor quoque pellatur ut noxius: tibicinas & psalterias & istiusmodi quasi mortifera Sirenarum carmina proturba ex adibus.

Sic autem erudienda est anima, quæ futurum est templum Dei, quod nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet: turpia non intelligat: cantica mundi ignoret. Non sunt contemnenda quasi parva sint, sine quibus majora consistere non possunt. Græca narrat historia Alexandrum potentissimum regem orbis dominatorem, & in moribus, & in incessu Leonidis pædagogus sui non potuisse carere vitis, quibus adhuc parvulus fuerat infectus.

Dæmonum itaque cibus est carmina poetarum, sæcularis sapientia, rhetoricorum pompa verborum. Hæc sua omnes suavitate delectant, & dum verbis aures dulci modulatione currentibus capiunt, animam quoque penetrant, & peccatoris interna devinciunt. Verum ubi cum summo studio fuerint ac labore perlecta, nihil aliud nisi inanem sonum & sermonum strepitum suis lectoribus tribuunt. Nulla ibi saturitas veritatis, nulla justitiae refectio reperitur. Studioli eorum in fame veri & virtutum penuria perseverant. Mihi autem curæ, non quid Aristoteles, sed quid Paulus doceat. Ornat enim doctrinam Dei, qui ea quæ conditioni suæ apta sunt facit: & è converso confundit illam, cui conditio sua displicet. Monachus autem non doctoris, sed plangentis habet officium, qui vel se vel mundum lugeat, & Domini pavidus præstolatur adventum; qui sciens imbecillitatem suam, & vas fragile quod portat, timet offendere, ne impingat & corruat & frangatur, seque monachum esse non loquendo & discursando, sed tacendo & sedendo noverit. Sic quoque tibi sermo silens, & silentium loquens, nec citus, nec tardus incessus.

Ac unusquisque quando ad communionem ingreditur cum cuculla tantum accedat. Habeant qui vultum suam opes, vase gemmato bibant, serico niteant, plausu populi delectentur: & per varias voluptates divitiarum vincere nequeant. Nostræ divitiæ sunt in lege Dei meditari die ac nocte, ja-